

tur, oportet. Stephanus Gerlachius refert, (s) Constantinopoli in Scholâ, Solymani templo adjunctâ, quinque *Muderes* seu Professores atque in aliâ, quam Sultanus Bajazethes fundaverat, Muftium, qui Sacerdotum in Turciâ caput est, docuisse. Stipendium verò Doctorum, septuaginta in diem Aspros non excedere, multis verò minus porrigi, idem testatur. (t) Sed & Michael Hebererus, Scholam hujusmodi Peræ sive Galatæ, quæ Constantinopoleos trans Bosphorum quodammodo suburbium est, observavit, in quâ circiter quadringenti juvenes, sub variis Magistris educabantur & holoserico vestiti incedebant. (u) Ex quibus utique patet, Constantinopoli Apollinem non prorsus exulare. De aliarum urbium Academiis pauca nobis reperire licuit. Johannes Bohemus, librorum de Moribus gentium autor, (x) multa & magna inter Turcas Gymnasia obvenire tradit, sed sine idoneo teste. Inveniri tamen nonnulla, ex eo colligimus, quod Lazarus Soranzius de Muhamede III Turcarum Tyranno scribit, cum juvenis adhuc, Patris jussu Magnesiâ concessisset, ab eo duo millia Studiosorum, ob leviculam causam trucidata esse. (y)

Cum

(s) In Diario Turcico ad Annum 1576. p. 282. (t) Ibid. ad Annum 1577. p. 377. (u) In Itinerario, cui Autor titulum fecit *Aegyptica Servitus* L. 3. c. 5. p. 363. (x) L. 2. p. 197. (y) Ottomanni P. 1. c. 1. Faciunt huc, quæ in Archontologiâ Cosmicâ, sed sine addito Autoris nomine, ex quo petita sint, adferuntur p. 674. *Voluit aliquando Amurathes Princeps scire, numerum Juvenum studiosorum, deprehenditque, in itâ ratione, eos ascendere, ultra novem millia, tam in Graciâ, quàm Asiâ minore: in quibus computati non fuerunt qui per Syriam, Aegyptum & Arabiam, atque aliis in locis studuerunt.*